

In Memoriam Pl. Lefèvre (1892-1978)

Die 11 ianuarii 1978, Lovanii, in nosocomio Sanctissimi Cordis, pie in Domino obdormivit Pl. Lefèvre, praeses Commissionis Historicae Ordinis Praemonstratensis, dierum ac meritorum repletus.

Curriculum vitae hic concinne describimus. De bibliographia amplissima eiusdem praesidis defuncti, speciatim periodicum nostrum aget.

Natus erat Lovanii, die 14 ianuarii 1892. Inde a iuventute sua, inquisitiones historicae gaudebant sagaci sua attentione. Studiis humanioribus nondum plene persolutis, iam prodibant articuli ab ipso compositi de materiis historicis agentes. Studiis humanioribus absolutis, partim Bruxellis, partim in seminario de Hoogstraten, anno 1909 ascitus est abbatiae Averbodiensi, in qua veste candida die 11 octobris 1909 indutus est. Sequitur annus novitiatus primus, in novitiatu communi circariae Brabantiae; curriculum tum philosophicum, tum theologicum persolvit in abbazia suae professionis. Die 22 augusti 1915, sacerdotio auctus est. Archivista abbatiae constitutus est, simul ac cantor et lector historiae ecclesiasticae anno 1917. Bello absoluto, formationem in historia perscrutanda quaesivit et large invenit apud universitatem Lovaniensem, potissimum apud prof. Cauchie, erga quem sese semper gratissimum exhibuit. Die 27 novembris 1924, maxima cum laude proclamatus est doctor in scientiis ethicis et historicis, dissertatione ad hoc parata sub inscriptione: *L'Abbaye Norbertine d'Averbode (1591-1797). Tome I. L'organisation constitutionnelle et la vie religieuse*. 1924, xxiii + 240 pp. Antea, die 22 novembris 1921 nempe, diploma tabularii laureati apud scholam Bruxellensem iam obtinuerat. Paulo post, 1 martii 1922, tabularius ad archiva regalia Bruxellis constitutus; 31 octobris viceconservator eiusdem Archivi centralis; ac, 1 aprilis 1950, conservator eiusdem Archivi constitutus; quod ultimum munus servavit usque ad 1 februarii 1957. Vocatus insuper est ut esset conservator archivi ecclesiae cathedralis SS. Michaelis et Gudulae Bruxellis; magister conferentiarum in alma universitate Lovaniensi, 1928, postea professor extraordinarius in eadem universitate, 23 iulii 1951. Hac ratione per plures annos docuit apud hanc universitatem scientias heraldiae,

sigillographiae, potissimum vero paleographiae. Docuit insuper per aliquot annos historiam ecclesiasticam in domo studiorum Congregationis missionariorum de Scheut; et historiam in instituto Dames de Marie, Bruxellis. Membrum erat Commissionis nationalis Archaeologiae, etc.

Interim Ordo, cuius sodalis erat, non remansit alienus a pluribus curis suis scientificis. Cum, exeunte anno 1923, in Ordine Praemonstratensi, institueretur Commissio Historica, sub praesidio abbatis Lamy (+ 1949), Lefèvre erat inter prima membra Commissionis. Membrum remansit usque ad diem obitus sui.

Abbate Parcensi, Versteylen, praeside Commissionis Historicae post obitum abbatis Lamy, defuncto (7 iunii 1962), praeses Commissionis eiusdem constitutus est Pl. Lefèvre. Quod munus alacriter suscepit usque ad obitum suum. Usque ad ultimum fasciculum periodici a Commissione historica editi sub nomine: *Analecta Praemonstratensia*, cfr. Lefèvre manum suam supposuit per plurimis articulis a se conceptis ac editis. Non tantum collaborator zelosus et eximius fuit pro periodico edendo; praeter et supra periodicum, sub eius auspicio, Commissio edere in cepit seriem inquisitionum maiorum, sub inscriptione: *Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium*. Undecim fasciculos in hac serie hucusque prodierunt. Ac primus fasciculus seriei, ab ipso conscriptus, erat: *La Liturgie de Prémontré. Histoire, formulaire, chant et cérémonial*. 1957. xviii + 181 pp. — Paraverat insuper pro eadem serie editionem criticam Statuorum veterum Ordinis, olim critice sed minus recte, iam editorum cura Martène. — Ulterius cfr. Lefèvre per plures annos membrum erat Commissionis Liturgicae Ordinis; ac, per aliquot annos, praeses subcommissionis Cantus Ordinis.

Si titulos permularum publicationum, non solum in periodicis Praemonstratensibus, sed insuper in tot aliis periodicis, diariis aut seriebus publicarum, summarie ordinare volumus, hoc concinne dici potest: Varia volumina publicata sunt in serie dicta: *Bibliothèque de la Revue ecclésiastique de Louvain*, in "Spicilegium Lovaniense"; edidit inquisitiones de civitate Bruxellensi, et ecclesiis variis huius civitatis, in specie de ecclesia cathedrali SS. Michaelis et Gudulae; scripsit de abbazia Averbodiensi; de Ordine Praemonstratensi, speciatim de eius Liturgia; de archeologia, etc. Plurima, in collaboratione cum aliis, aut solus, edidit in editionibus curatis ab Archivo centrali Regni.

In his omnibus veritatem sub omni respectu prae oculis habebat, semper mentem dirigens in fontes genuinos historiae. Intenta sua recte edicuntur in hymno Vesperarum OO. Sanctorum Ordinis (13 novembris): «O Patres merito colendi! Filiis ne quid pereat, videte: Floreat vestrum decus, et futuros impleat annos». Quod iudicium utiliter compleri potest verbis ipsius laboriosissimi Praesidis, modo defuncti, in unis ex suis litteris: «Pendant toute ma vie, déjà passablement longue, j'ai mis tout en œuvre pour faire connaître, apprécier et aimer l'œuvre fondée par S. Norbert et organisée par son disciple et successeur Hugues de Fosse, dans le climat de la réforme canoniale du XIIe siècle». Ac verbis ab ipso conscriptis post obitum abbatis Lamy, primi praesidis Commissionis Historicae Ordinis, et publicatis in *Analectis Praemonstratensibus*, 1950, XXVII, p. 6; «Dieu a mis un terme à la course terrestre, longue et laborieuse, de son bon serviteur... Vous fûtes pour tous, en particulier, pour vos collaborateurs, l'ami fidèle, de chaque jour. Entré dans la gloire, continuez-nous, plus que jamais, votre forte et efficiente protection».

Requiescat in pace!